

vis *C.* dum extrinsecis *N.* Copula vero licet dicatur consummatio matrimonii, hoc tamen non perficit intrinsece; nam fit verum matrimonium, licet nunquam sequatur copula, ut constat ex artic. præc.

Ad prob. 5^m. R. 1^o. Dogma fidei de existentia alicujus sacramenti non dependere ab hac questione scholastica, an hæc tria in omni sacramento adesse debeant; cum ex una parte Christus sacramenta pro suo arbitrio ordinarit; ex altera vero parte quoad hoc nihil definierit Ecclesia; unde licet hæc tria in matrimonio non haberentur, non ideo excludendum esset e numero sacramentorum.

R. 2^o. N. min. Nam sacramentum tantum est contractus, sive consensus mutuus externe expressus, quia significat tantum, et non significatur: res tantum est gratia, quia tantum significatur, et non significat: res et sacramentum simul potest dici vinculum, quia suo modo significatur, scilicet etiam a contractu; et simul, quia est perpetuum, significat, nimirum unionem Christi cum Ecclesia *perpetuam*.

Ad prob. 6^m. D. min. Quædam mutavit circa matrimonium ut est contractus *C.* ut est sacramentum *N.* Nam substantia matrimonii ut sacramenti est contractus legitimus; jam vero licet Ecclesia ad tollendos abusos, et præcavenda varia mala certas condiciones requisierit ad contractum matrimoniale legitimum, scilicet ut fiat coram paroco et testibus, sicque reprobavit contractum clandestinum; nunquam tamen fecit, ut, quod non est contractus legitimus, sit sacramentum matrimonii, quod esset mutare sacramenti substantiam.

280. *Obj. II.* Plures ex ipsis Doctoribus catholicis negarunt matrimonium esse sacramentum, ut Magister sententiarum, Durandus, qui L. 4. dist. 26. q. 3. approbat sententiam quorundam Canonistarum, ut Gaufridi, Hostiensis, Bertrandi, negantium matrimonio inesse vim conferendi gratiam ex opere operato, quod tamen ad sacramentum proprie dictum requiritur; ergo non fuit semper habitum sacramentum.

R. N. Ant. Nam uterque, Magister sententiarum et Durandus, constanter agnovit matrimonium esse verum novæ Legis sacramentum; prior quidem L. 4. dist. 2. ubi ita loquitur: *quorum* (Sacramentorum) *alia remedium contra peccatum præbent, et gratiam adjutricem conferunt, ut baptismus; alia in remedium tantum sunt, ut conjugium; alia gratia et virtute nos fulciunt, ut Eucharistia et ordo.* Posterior vero, sive Durandus in eundem L. 4. dist. 2. q. 2. aperte ait septem esse sacramenta, quorum septimum est matrimonium. Et, *tenendum est absolute, inquit, quod matrimonium est sacramentum, cum hoc determinet Ecclesia, extra de Hæret. Ad abolendam.*

Error igitur Magistri solum erat circa notionem veri sacramenti, cum putaret posse aliquod esse verum novæ Legis sacramentum, quin conferret gratiam, modo aliud ex eo bonum haberetur, ut ex matrimonio, quod dicebat esse *in remedium tantum*. Et hic etiam error fuit paucorum Canonistarum, quos refert Durandus.

Durandus vero nequidem negavit matrimonio vim conferendi gratiam, sed hanc ei positive tribuit L. 4. dist. 2. q. 2. *Alio modo, inquit, potest sumi brevius eorum* (Sacramentorum) *sufficiencia ex parte adjutorii, quod conferunt. Sacramenta enim expediunt nos ad actus virtutum, quæ sunt*

septem, tres theologice, et quatuor cardinales. Ad actus ergo fidei expedit nos Baptismus; ad actus spei Extrema unctio; ad actum charitatis Eucharistia... ad actum temperantiae Matrimonium.

Nec approbavit Durandus dictorum Canonistarum sententiam; sed solum contendit, eos non docere aliquid contrarium definitioni Ecclesiæ, vel quod esset hæreticum: *Sunt alia duo, inquit in L. 4. dist. 26. q. 2. circa matrimonium, circa quæ sine periculo hæresis licitum est contraria opinari, quorum unum est theologicum, scilicet utrum in matrimonio conferatur gratia ex opere operato, etc.* Et recte; tunc enim id nondum clare Ecclesia definierat; igitur tunc contrarium opinari error erat, non hæresis. Unde etiam S. Thomas in suppl. q. 42. a. 3., Bonavent., Sotus, qui cum communi catholicam tuebantur sententiam, eam solum ut probabiliorum, non ut fide omnibus credendam proponunt. Nemo igitur Doctorum e Catholicis negavit unquam matrimonium esse sacramentum, sed tale esse certa erat et indubitata doctrina; licet quidam disputarent, an vel quomodo conferret gratiam, erronee putantes, posse esse verum sacramentum, licet ex opere operato gratiam non conferret.

Ex his etiam colligitur, falsum esse, quod ait Jueninus, temporibus Magistri sententiarum et S. Thomæ Ecclesiam credidisse matrimonium esse sacramentum novæ legis ex traditione non *explicita* quidem, sed *implicita* tantum, quam clare postea tum Florentina, tum Tridentina Synodus explicuere, sic ut hoc dogma per illa Concilia sit factum articulus fidei, qualis ante non erat.

281. *Obj. III.* Non convenit inter Catholicos ipsos, quando Christus instituerit hoc sacramentum; ergo.

R. N. Cons. Etiam quoad tempus instituti baptismi magna est inter Patres et Theologos opinionum diversitas, nec de tempore illo convenit inter adversarios; an ideo baptismus sacramentum non erit? Interim de tempore, quo matrimonium a Christo ad sacramenti dignitatem sublimatum est, triplex est opinio. *Prima* assignat tempus, quo Christus nuptias in Cana sua honestavit præsentia, et illustravit miraculo; pro qua adduci solent S. Augustinus et S. Cyrillus, eo quod prior Tr. 4. in Joan. doceat, Christum ideo nuptiis interesse voluisse, ut castitatem conjugalem firmaret; alter vero Lib. 2. in Joan. c. 2. (opp. t. 4. p. 135. A.) dicat Christum in illis nuptiis sanctificasse conjugium. *Alter* tempus opinatur illud, quo Christus Matth. 19. abrogato repudii libello matrimonium ad indissolubilitatem primam reduxit. *Tertia* tandem post resurrectionem factum existimat, quando Christus per 40. dies in terra conversabatur cum Apostolis varia loquens de regno Dei.

ARTICULUS III.

AN SOLUM ET OMNE MATRIMONIUM FIDELIUM SIT SACRAMENTUM.

282. Multiplex est quæstio: I. An solum matrimonium fidelium sit sacramentum, ita ut ratio sacramenti omnino non conveniat matrimonio infidelium? II. An matrimonium infidelium fiat sacramentum proprie tale

post susceptum ab iis baptismum, saltem si renovent consensum? III. An, si fidelis contrahat cum infideli, matrimonium sit saltem sacramentum ex parte conjugis fidelis, ex supposito, quod Ecclesia dispensasset in impedimento disparis cultus? sine hac enim hypothesis nunc questio non potest procedere. IV. An etiam matrimonium fidelium, quod per procuratorem contrahitur, sacramentum sit? V. An matrimonium fidelium sit sacramentum, adeo ut ratio sacramenti a contractu matrimoniali separari non possit a contrahentibus?

283. *Dico I.* Matrimonium inter non baptizatos stat quidem in ratione contractus civilis; non tamen est veri nominis sacramentum, sed solum in sensu latiori.

Ratio primæ partis est; quia imprimis valet spectato jure naturæ; hoc enim præcise ad valorem contractus consensum mutuum requirit, qui adesse supponitur. Nullo etiam jure positivo irritatur: non divino; tale enim nullum assignabile est, etiam post Christum: non ecclesiastico; hoc enim potius supponit valere tale matrimonium in ratione contractus *c. Gaudemus. de Divort. per sacramentum Baptismi non solvuntur conjugia, sed crimina dimittuntur.* Imo Ecclesia tale matrimonium irritare non potuit, cui nullum jus in non baptizatos est.

Ratio secundæ partis; quia nullus, nisi suscepto baptismo, capax est alicujus sacramenti novæ legis, ut est communis Theologorum sensus, et innuit Innocentius III. *c. Veniens. de presbytero non baptizato, eum, qui dubitans, essetne baptizatus, ordinatus fuerat, jubet baptizari et ordinari; item Florentina Synodus, vocans baptismum vitæ spiritualis januam.*

Ratio tertiæ partis; quia talium matrimonium saltem habet hoc, quod sit symbolum conjunctionis Christi cum Ecclesia, licet minus perfecte, quam matrimonium Christianorum. *Prob. ex c. Gaudemus. de Divort. ubi dicitur sacramentum conjugii apud fideles et infideles existere; infideles vero sacramenti proprie dicti incapaces sunt ex defectu baptismi; ergo apud hos est sacramentum solum in sensu latiori, scilicet quatenus eorum matrimonium etiam significat conjunctionem illam Christi cum Ecclesia.*

Nec obstat contrahentium infidelitas, vel ignorantia, quod eorum matrimonii hæc insit significatio; quia hanc habet matrimonium ex prima institutione sua facta in paradiso, quam proinde tollere nequit infidelitas, vel ignorantia.

284. *Dico II.* Matrimonium contractum a non baptizatis non fit sacramentum præcise per subsequentem baptismum, si convertantur; probabile tamen est fieri, si suscepto baptismo renovent consensum.

Prob. 1^a. p. Ut fiat novum sacramentum matrimonii, debet poni nova ejus materia et forma: atqui baptismus præcise nec est materia, nec forma matrimonii; ergo. Nec dici potest, quod præsens sit vinculum ex priore contractu inductum, quod subeat vices materiæ et formæ; nam non vinculum, utpote quod est effectus matrimonii contracti, sed consensus est materia matrimonii; ergo vinculum non potest subire vices materiæ et formæ.

Prob. 2^a. p. negative: Quia non potest afferri ratio efficax, ob quam tales

conversi, si suscepto baptismo renovent consensum, hoc sacramento privati censi debeant; ergo. *Ant.* patebit solutione objectionum. Nam

285. *Si ais 1^o.* Sacramentum novum matrimonii non fit absque novo consensu, vel contractu, ut ante dictum est: atqui hic non fit novus consensus, vel contractus; nam prior ante conversionem manet; ergo.

R. D. Maj. Non fit absque contractu simpliciter et secundum omnia novo *N.* novo saltem secundum quid *C.* Licet post susceptionem baptismi non ponatur novus contractus matrimonii simpliciter et secundum se spectati; ponitur tamen non baptizatis novus contractus secundum quid, et *moraliter intrinsece* distinctus a contractu infidelium; nam consensus in traditionem novo titulo et modo insolubilem est distinctus a consensu in traditionem non tali titulo et modo factam; atqui consensus ille conversorum post baptismum est consensus in traditionem corporum novo titulo et modo nimirum firmiore insolubilem, scilicet et ratione sacramenti, et significatione indissolubilis conjunctionis Christi cum Ecclesia, quam antea non ita perfecte significabat; ergo. Hæc vero circumstantiæ mutant *moraliter intrinsece* contractum.

Illustrantur hæc *a pari.* Sic venditio, quæ est facta novo titulo et modo firmiore, distinguitur a venditione priore: sic vota solemnia in Societate Jesu distinguuntur a votis simplicibus in eadem, licet utraque tendant in eandem paupertatem, castitatem, et obedientiam; quia vota solemnia pariunt obligationem magis firmam et insolubilem. Pari modo se habet res in nostro casu.

286. *Si ais 2^o.* In contractu matrimonii est hoc speciale, quod requiratur traditio mutua corporum, vel saltem juris in corpora; sed conversi, licet post baptismum renovent consensum, non possunt de novo sibi mutuo tradere corpora. *Prob. min.* Quia hæc jam sibi tradiderunt; vi cujus traditionis uterque amisit dominium in corpus proprium juxta Apostolum I. Cor. 7.

R. D. min. Non possunt sibi mutuo corpora tradere de novo traditione simpliciter, et quoad omnia nova *C.* nova secundum quid juxta dicta *N.* Et *D. prob.* Hæc jam sibi tradiderunt omni modo et titulo, quo poterant tradi *N.* non omni eo modo et titulo *C.* Quare licet amiserit dominium sui corporis simpliciter et secundum se; non tamen amisit omni modo et ex omni titulo, quo poterat amitti.

287. *Si ais 3^o.* Si matrimonium illud fieret sacramentum ob renovationem consensus; ergo toties repeti posset sacramentum, quoties renovaretur consensus a baptizatis: sed hoc est falsum; ergo.

R. N. seq. Maj. Quia a baptizatis non potest poni talis novus consensus, sicut a conversis, quando post baptismum renovant consensum; priores enim jam consenserunt in traditionem corporum omni titulo et modo insolubilem; sed non ita infideles ante baptismum.

Ex his sequitur renovationem consensus in conversis post baptismum non esse meram approbationem traditionis jam factæ; sed esse traditionem *moraliter intrinsece* distinctam a priore, qua intendunt indissolubilitatem firmiorem, atque novo titulo.

288. *Dico III.* Matrimonium fidelis cum infideli non est proprie dictum sacramentum, nequidem ex parte fidelis. Est communior contra quosdam volentes, fore sacramentum ex parte baptizati, quia putant inter conjuges esse duo sacramenta partialia, quorum unum subsistere possit sine altero. Contra quos conclusio

Prob. Sacramentum matrimonii essentialiter est contractus; ergo sicut contractus unus est inter duos, ita sacramentum est necessario in duobus, et sicut ad unum contractum essentialiter requiruntur duo habiles ad contrahendum; ita ad sacramentum, quod consistit in certo contractu, scilicet *sacramentali*, requiruntur duo habiles ad contrahendum *sacramentaliter*; quia Christus ad rationem sacramenti elevavit contractum *baptizatorum*: *Subs.* Atqui in præsentī casu non sunt duo habiles ad contrahendum *sacramentaliter*; ergo.

Conf. Nequit esse sacramentum sine materia et forma essentiali, nec sine subjecto, vel ministro capaci: atqui nullum ex his habetur in casu præsentī: Non primum; quia materia et forma ad hoc sacramentum requisita a Christo sunt duo consensus expressi non qualicumque, sed duorum baptizatorum, qui hic non habentur. Non secundum et tertium; quia similiter subjectum capax et ministri, sunt duo baptizati; cum, ut ostensum ante, sit essentialiter contractus inter *baptizatos*.

289. *Dices 1º.* Licet consensus partis infidelis non sit materia sufficiens, ut ipsa percipiat sacramentum; est tamen materia sufficiens ex parte fidelis; quia potest quis carere idonea materia erga se ipsum in ordine ad sacramentum, cuius est incapax, et eam alteri exhibere, qui capax est; ergo.

R. N. Ant. Quia materia, ut sit sacramentalis, debet hic poni a baptizatis; Christus enim non qualemcumque consensum elevavit ad sacramentum, sed consensum baptizatorum. Deinde conjuges sibi invicem exhibendo materiam, sibi invicem sunt ministri hujus sacramenti; infidelis vero, excepto baptismo ob hujus necessitatem, nullius sacramenti est idoneus minister, ut est alias communis Theologorum sensus.

290. *Dices 2º.* In præsentī casu ex una parte baptizatus est capax sacramenti; et ex altera parte verum efficit contractum cum non baptizato: atqui contractui baptizati convenit ratio sacramenti; modo intentionem habeat faciendi, quod facit Ecclesia.

R. C. Maj. D. min. Convenit contractui baptizati inito cum baptizato *C.* secus *N.*

291. *Dices 3º.* Potest unus recipere gratiam, et non alter ex defectu dispositionis; ergo etiam sacramentum.

R. N. Cons. Disparitas est; quia gratia duorum est duplex numero et distincta entitas; potest ergo recipi ab uno disposito, et non ab altero indisposito, vel ponente obicem; e contra cum sacramentum matrimonii consistat in contractu duorum habilium ad contrahendum sacramentaliter juxta superius dicta, dicit essentialiter duos sacramenti capaces, qui in præsentī casu non habentur.

292. *Dices 4º.* Licet omnes ordines simul sumpti constituent unum adequatum sacramentum ordinis, et utraque species sacramentum unum Eucharistiæ; haberi tamen potest unus ordo sine altero, et sub una specie sine altera sacramentum Eucharistiæ; ergo etiam idem sacramentum matrimonii haberi potest in uno contrahente, quin habeatur in altero.

R. C. Ant. N. Cons. Et ordines, et illæ species etiam diversæ totam habent sacramenti essentialiter; habent enim partiales etiam ordines singuli suam materiam et formam distinctam, quin unus in aliquo ex his dependeat ab altero; idem est de duplici specie in Eucharistia; matrimonium vero sicut nequit esse contractus verus in uno tantum, sic sacramentum in uno tantum esse non potest; cum hoc, juxta dicta, essentialiter fundetur in contractu duorum fidelium; imo aliud non sit, quam contractus duorum fidelium elevatus. Nec absurdum videri potest, idem sacramentum, cum sit accidens morale, esse in diversis subjectis; sic enim una numero potestas eligendi Imperatorem est in toto collegio Electorali, et potestas eligendi Episcopum in toto Capitulo.

293. *Dico IV.* Matrimonium contractum a fidelibus per procuratorem valet, cæteris paribus, tum in ratione contractus, tum in ratione sacramenti.

Prob. 1ª. p. Ex praxi Ecclesiæ, qua etiam hodie ita celebrantur matrimonia a regibus et principibus, velut hoc ipso anno 1760. a Serenissimis Josepho Archiduce Austriæ et Isabella Infante Parmensi; quod non permetteret Ecclesia, si nulla essent talia matrimonia. Deinde ante Tridentinum valebant, ut constat ex c. fin. de Procurat. in 6.; ipsum vero Tridentinum quoad hoc non correxerat jus antiquum, sed solum irritavit matrimonia clandestina.

Prob. 2ª. p. contra Sylvium. Christus contractum matrimonii validum elevavit in sacramentum: sed talis est contractus per procuratorem initus, ex dictis; ergo. Christus vero hunc contractum nullibi excepit a ratione sacramenti; nec Ecclesia. Imo, quia ratio sacramenti non potest separari saltem licite a contractu, Ecclesia non posset permittere, multo minus approbare talia matrimonia, si sacramenta non essent.

Dixi: *cæteris paribus*; ut enim valeat hoc matrimonium, requiritur 1º. ut procurator a suo principali speciale habeat mandatum ad contrahendum cum persona determinata; neque is suum excedat mandatum. 2º. Ut procurator mandatum suum exequatur per se ipsum, et non per substitutum; nisi specialem substituendi facultatem acceperit. 3º. Ut eo tempore, quo procurator contrahit, ejus potestas non sit revocata, nequidem tacite, et inscio procuratore; quia per quamcumque revocationem cessat consensus; sine consensu autem non efficitur matrimonium. 4º. Ut procuratores contractum ineant coram parcho, et testibus, in iis locis, in quibus recepta est et viget constitutio Tridentini annullantis clandestina matrimonia.

294. *Dices 1º.* Tridentinum Sess. 24. c. 1. præcipit, ut sponsi interrogentur a parcho, et respondeant; item ut parcho præsens sit consensus contrahentium: sed neutrum fit, si contrahatur per procuratorem.